



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Apostolis à Christo pisces prouisi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

rem eorum rationem habet Mundi Governator, quàm illorum, qui curas animarumque suam quodammodo diuiserunt, aut toti negotijs immerfi seculo seruiunt. Quanquam bonus Deus magis hos etiam ipsos curat, quàm ipsi Deum.

Nec enim desunt exempla. Quàm insperatò succurrit, vsque ad desperationem obsessæ ciuitati? *Factâq, est fames magna in Samaria: & tam diu obsessa est, donec uenundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoreis columbarum, quinq, argenteis.* Si fames hæc non fatis magna, considera à matre filium coctum; considera uerba ducis, Elisæo magnam rerum omnium abundantiam in sequentem diem promittente, dicentis: *Si Dominus fecerit etiam cataractas, in cælo, nunquid poterit esse, quod loqueris?* Et tamen totis repente Syriorum castris exterritis, fugientèque & rege & exercitu, quanta omnium cibariorum copia in prædam relicta est? Vnus dies totam sustulit calamitatem; nec citiùs sol noctem pepulit, quàm abundantia penuriam; & inopia rerum omnium, in omnium rerum copiam est cõmutata.

Neque toti tantùm ciuitati prouisum est, sed etiam exiguè mulieri, ad quam Elisæus dixit: *Surge, uade tu & domus tua, & peregrinare ubicunq, repereris: uocauit enim Dominus famem, & ueniet super terram septem annis. Quæ surrexit, & fecit iuxta præceptum hominis Dei; & uadens cum domo sua peregrinata est, in terra Philisthym diebus multis.* Curauit utique hæc mulier familiam, sed vna etiam à cælo curata est, per Prophetam, dum missa est, fame dominante, ubi aleretur. Quod quidem apertis uerbis Prophetam huic mulierculæ antè dixit. Quàm plurimis, non quidem per sermonem hominis, sed per Angeli suggestiõnem, indicat, ut locum mutant, & migrent aliò, ubi eos uult sustentare; qui si ibi manerent, unde, tacita cogitatione suadente, abeunt, fame essent, perituri.

Ipsi Apostoli, cum labore manuum suarum victum quaeritarent, cum retia in undas iactarent & piscarentur, nonne à Domino adiuti sunt? Ad Simonem ait: *Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam.* Et respondens Simon dixit illi: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in uerbo autem tuo, laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, ut uenirent, & adiuuarent eos. Et uenerunt, & impleuerunt ambas nauticulas,*

ita ut

III.
2. Reg. 6. 25.

4. Reg. 7. 2.

IV.
4. Reg. 8. 1.

V.
Luc. 5. 5.

ita ut penè mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua IESV, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine, stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant. Post resurrectionem quoque, stans in littore, Apostolis, qui iterum tota nocte ceperunt nihil, dixit:

Ioan. 21. 6.

Mittite in dextram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere, præ multitudinem piscium. Laborantibus igitur, & pro victu sollicitis succurrit, & quasi manum porrexit. Quin postquam descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum & panem; & dixit eis IESVS: Venite, prandite. Encocum factum! en factum piscatorè, in gratiam piscatorum! Aut enim piscem, prunis postea superpositum, manu sua è mari extraxit, aut creauit, & piscem vtique magnum, qui tot famelicis piscatoribus sufficeret saturandis.

VI.

Ioseph. à Iesu Maria de vita Francisci à Puer. Iesu. c. 5. 6. lib. 1.

Possent hinc innumera alia exempla afferri. Vnum non pretermittam valde recens, quod in historia vitæ ac virtutum Venerabilis Fr. Francisci à Puerò IESV Carmelitæ Discalceati R.P.F. Ioseph à Iesu Maria item Carmelita Discalceatus refert, Franciscum scilicet à Puerò IESV, inter multa pietatis exercitia, in die Natali eius, Equitatu & militiæ IESV (ita pauperes vocabat) commune instruere solitum epulum, quo non solum Complutenses, verum etiam totius prouinciæ pauperes, modò factæ in eandem confessionis schedulam testem ostenderent, excipiebat. Aliquot antè diebus religiosissimo candore Paruulum suum conueniebat, eique narrabat, se pauperibus festiuam mensam, in illius honorem, promississe: illius partes esse vigilare, vt creditoribus sumtum suppeditantibus satisfiat. Eiusmodi oratione facta, omnem deinceps cogitatum suum in Dominum iactabat. Minimum veruecibus triginta, bobus duobus, frumenti sextarijs quindecim aut viginti illi opus erat, cum capreolis, larido, rapis, carbonibus. Quæ omnia Puer IESVS ad eum direxit, etiam per ignotos, & pauperes. Ipsi pastores ruris illi de grege suo afferebant, quidquid liberet, & quocumque tandem precio, quandocumque soluendo. Denique ad miraculum omnia suppetebant, licet numerus conuiuorum, ad mille ducentos excresceret; quos omnes ad laudandum puerulum IESVM exhortabatur. Præter cibos autem etiam singulis Regalem vnum in chartula complicatum offerebat. Quodam anno, in summa annonæ caritate, nocte quadam

Natiui.